Basilius iure maximo Magnus, Haereticum admirandi Eucha-
ristiae mysterij scrutatorem, pulicem potius, cui natura tam
artificiosum, tamque admirandae subtilitatis corpusculum formarit,
scrutari iubet. Qui et Aristoteles Philosophorum Princeps
cum insectorum animantium naturam scrutaretur, unicum pulicem
sibi proposuisse contentus fuit, in illo enim naturae artifi-
cium, quo insectorum corpuscula compegit, plenissimè se de-
prehensurum confidebat. At verò non solum natura pulicis
corpus arte et subtilitate eximium verùm etiam varijs suarum
disciplinis instructum dare voluit; nam simul ac usuram lucis
usurpat, ijs artibus eruditur, quibus sibi alijsque et voluptatis
multum, et utilitatis plurimum se consecuturum novit.
Litteras quidem non didicit, Rhetoricaeque studio minimè dat ope-
ram, attamen peritissimi concionatoris fungitur officio;
mortalium enim superbiam, et in primis regum, principum
atque imperatorum egregiè reprehendit atque castigat: non
ille regiam maiestatem, non potentiam, non dignitatem,
non denique severos minacium principum vultus veretur,
sed audacter (quod tamen alius Concionator vix praesumeret)
sese in aulam insinuat, superbiae vitium è regia exturbare
conatur, ipsos denique principes regesque insolentiae cristas,
quas sibi sumpserant, deponere, nullo licet verborum minacium
strepitu, nullâ etiam adhibitâ eloquentiâ, iubet, levi duntaxat
morsu eos vellicans, aut regiae insidens purpurae; mendicum